



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 74. Eugenii Papæ jurisdictio Basileensium decreto suspensa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

tas se obtulerit, uni Magistro, Licentiato, ^{Sæcul. XV.}
 vel in Theologia Baccalaureo, qui per de- A. C. 1438.
 cennium in universitate privilegiata studue-
 rit, quive bis aut semel per singulas hebdo-
 madas legere habeat, canonicatum vel præ-
 bendam conferre teneatur. Insuper in qua-
 libet Ecclesia Cathedrali vel collegiata ter-
 tia pars præbendarum conferatur graduatis,
 Magistris, Licentiatis seu Baccalaureis cu-
 jusdam facultatis sic, quod prima vacatura
 hujusmodi graduato, & deinde post alias
 duas sequens eo modo conferatur, & sic dein-
 cept: idem quoque modus & ordo quoad
 dignitates observetur: in Ecclesiis autem
 Parochialibus, quæ in civitatibus muratis
 existunt, instituantur Personæ, quæ saltem
 Magistri in artibus fuerint. Denique sta-
 tuerunt, quod quolibet anno, durante
 tempore quadragesimæ omnes hoc modo qua-
 lificati debeant sua nomina exhibere illis, ad
 quos beneficiorum collatio spectat, ut ad
 ea jus acquirant, si non fecerint, collatio
 aliter quam permittitur facta, non propter
 hoc irrita censeatur: Tandem, beneficia re-
 gularia Religiosis idoneis conferantur.

§. LXXIV.

*Eugenii Papæ jurisdictio Basileensium
 decreto suspensa.*

Conditis hisce decretis Basileenses Eu- ^{Labbe Conc.}
 genium Papam contumaciæ dam- ^{to. 12. p. 606.}
 X 3 nant,

Sæcul. XV.
A.C. 1438.

nant, omnem illius jurisdictionem tam spirituales quam temporales suspendunt, eamque ad suam Synodum devolutam declarant. Præterea irritum, & inane decernunt, quicquid durante hac suspensione per ipsum factum fuerit, vel attentatum, atque omnibus cujuscunque conditionis Personis sub anathematis pena præcipiunt, ut eidem Papæ Eugenio nullatenus obediant.

Paulo post Basileenses Responsum, ut vocant, Synodalem conficiunt, adversum Ferrariense Concilium, omnesque rationes magis probabiles, quæ Papam Eugenium ad Synodum jam altera vice dissolvendam inducere potuissent, confutare, ac evincere nituntur, quod Eugenius durante Basileensi Synodo aliud Concilium Ferrariæ congregare non valeat, quin eo ipso datam fidem violet, & se ab unitate Ecclesiæ separet. Sicut enim, inquiunt illi, *unica est Ecclesia sancta Catholica, sic esse non potest nisi unicum Generale Concilium, ipsam sanctam Ecclesiam Catholicam repræsentans; cum ergo præsens Concilium sit legitime congregatum, constat illo durante aliud alibi esse non posse. Quicumque igitur hoc durante Concilio aliam Congregationem sub nomine Generalis Concilii erigere præsumpserit, non Catholice Ecclesiæ Concilium, sed Schismaticorum conventiculum erigere convincitur.* Data est

Cont. gen.
Labh. to. 12.
art. 10. p. 730
& seq.

est hæc epistola die 15. Martii Anno mil-Sæcul. XV.
lesimo quadringentesimo trigesimo o- A.C. 1438.
ctavo.

§. LXXV.

Cardinalis Arelatensis Basileensis Synodi Præses.

Præallegatum responsum instigante Arelatensi Cardinale confectum, ejusque opera elaboratum fuit, qui idem Juliano Cardinale ad partes Eugenii redeunte, ab iis, qui Basileæ perstiterant, Præses creatus fuerat. Vocabatur Ludovicus Alemanus (*) Cardinalis tit. S. Cæciliæ, vulgo dictus Cardinalis Arelatensis, nomine a sua Sede Archiepiscopali mutuato. Patrem nactus erat Joannem Alemanum, seu Alemandum Arbenæ, & Monginsonii Toparcham, ex quo primam lucem aspexit sub annum Domini millesimum trecentimum nonagesimum in castello Arbenensi, quod in agro Bugefiæ, seu Burgiæ prope Sabaudiam situm est. Renuntiabatur primum Canonicus,
&

(*) *Acta Patriciana Alemanum Basileensis cœtus Præsides alium fuisse reputat ab illo Ludovico hujus responsionis Architecto, Prototario Rom. ac Alphonsi Arragonum Regis oratore.*